

SAXONUM. VIRTUS. QUID.  
NON. DOMAT. | SUB. JU-  
GUM. ECCE. ALBIS. RAPI-  
TUR. FORNICIBUS!

Urbs vetus cum nova stupendo hoc  
vinculo fortiter connectitur. Causam  
vinculi quæris? urbem urbi opposi-  
tam, undis impositum pontem, ponti  
ignivomum montem lapideum mira-  
ris? mirandi trifarii ænigma solvam:

Hic *Homines, Reges*, hic habitantq;  
*Dea.*

Protinus deambulanti curiosis o-  
culis sese insinuabit *Aula Diana*, toti-  
us Europæ celebratissima, augustum  
Augusti Electoris opus, qui undiq; in  
se augustus & sibi semper similis hoc  
sui monimentum reliquit, *Speculum*  
*Dianæ legans* sub lege repetundarum,  
posteris per posteros augendum.

Dianæ sacra linquens *Najadibus* li-  
tabis, Albim superando *Floram* Deam  
salutabis, quæ te per amœna vireta ad  
aulam suam deducet plusquam regi-  
am, *Hortense Palatium Pirnense* (quod  
no-